

mi, qui ex præsumptione Juris firmiores agere radices, ac perpetuitatem fovere censentur.

260 Scilicetaberis I. an aliquis seipsum eligere possit? Responso communissima est negativa propter textum in num. 249. recitatos; & rationem sedicem: quia sibi ipsi sumere honorem nullus debet, sed qui vocatur à DEO tanquam Aaron cap. in scripturis 9. VIII. q. 1. & quia inter dantem & accipientem debet intercedere distinctio personalis per cap. fin. de Insuper. cap. per nostras 26. de Jure Patron.

261 Sed ponamus hunc casum. Titius, in Ecclesia Collegiata B. constitutus, scit indubitare, omnes suos Collegas vel ob animi vel corporis vitium esse ineligibiles, imò Prælatum profus indignos. Quid agendum? An unum ex illis assumet? Reclamat conscientia; contradicit justitia; prohibet ratio. An extraneum aliquem vocabit? Sed neminem noscit. An ab eligendo desistet? Neque hoc consultum apparet: vel quia sine aliorum diffamatione non potest resignare votum; vel quia à Præfide Electionis non permittitur.

262 Resp. ad casum, non facile evenibilem, & dico: Vel Electio celebratur per scrutinium planè secretum; vel per scrutinium commune? Si per scrutinium planè secretum, poterit elector, nemine conscio, vacuum schedam in urnam conjicere, sicque ab Electione absinere. si ita expedire judicaverit. Si per scrutinium commune: tunc, quia rationem voti vel collati vel resignati reddere cogi potest, aut defectus occultos manifestare tenetur, si quem ex inhabilibus eligendum cum dispendio publico timeat, juxta inferius dicenda; vel omnino cessare, quid quid alii protestentur in contrarium.

263 Illud à perisque comprobatum reperio, esse aliquem subinde in sui Electionem consentire, ac suo consensu ex votis æqualibus aut insufficientibus majora facere. Vel enim Electio celebratur per scrutinium aut (quod magis esse possibile) compromissum commune; vel secretum? Si primum; procedit, quod diximus, approbante sic Rota Rom. in rec. p. 19. tom. 1. dec. 141. n. 25. & Sac. Congregatione in una Mauthernens. Elect. apud Card. de Luca de Canon. disc. 26. n. 2. quia vocatus & electus ab aliis non tam eligit, quam suæ vocationi & Electioni præbet assensum. Et ideo, si septem sint compromissarii, & tres eli-

gant per vota communia Sempronium compromissarium, illeque intelligens consentiat; censetur esse per majora electus. cap. cum in Jure 33. h. t. Si secundum; idem non 265 procedit: quia, qui scrutiniò secretò electus Electioni consentit, dum nescit ab aliis electum, potius se eligit, suamque Electionem principaliter intendit, quam Electioni aliorum assentit. Unde, quia in Electionibus Regularium vota per scrutinium secretum, explicatò modò, conferuntur, nequit aliquis suo consensu facere majora; sicut nec in aliis Electionibus, in quibus servatur forma cap. quia, propter 42. h. t. Rota cit. l. n. 2. Panormitanus ad cit. cap. 33. n. 5. §. Ideo possimus etc. Gonzalez ibid. num. 7. Leuren. q. 296. Card. de Luca ubi supra à n. 4.

Scilicetaberis II. an electus, impedimentò quòdam occultò detentus, possit in Electionem consentire? Ratio dubitandi est: quia nimium grave & acerbum est, quempiam sui ipsius accusatorem & infamatorem agere; quod facere necessum esset, si quis occultò impedimentò restrictus Electionem acceptare non posset. Sed

Negative respondendum esse opinor cum 267 P. Engel h. t. n. 45. propter urgentem textum in cap. innotuit 20. de Elect. ubi proponitur Electio Archidiaconi ejusdem, ex illegitimis natalibus oriundi, diciturque, quòd S. Pontifici secretà confessione monstraverit, conscientiam aliquantisper ex natalibus esse laesam; quòdè sponse & humiliter suum malaverit consiteri reatum, quam laesam conscientiam confiteri pastoralem. Ergo supponitur, impedimentum fuisse occultum, & electum non potuisse Electionem acceptare sine dispensatione Pontificia.

Neque periculum infamie taliter impedito 268 imminet: nam ex eo, quòd Electionem acceptare nolit, non tam suspicio latentis impedimenti, quam opinio Christianæ demissionis generari potest. Ratio autem hujus resolutionis desumi debet ex iis, quæ in tract. de Jure Legali cap. 1. n. 275. de Legibus, poenas privativas infigentibus; item de Legibus irritantibus & inhabilitantibus num. 329. resoluta sunt. Ubi etiam in num. 320. videri potest, quid respondendum sit, quando Lex irritans in poenam criminis est constituta. Interim, secutà dispensatione, super occulto defectu, convalescit Electio, prout resolvit Rota in rec. p. 5. tom. 2. dec. 603. n. 50. & seqq.

§. V.

De eligendo digniore.

270 Inter eligendos habendus est selectus, ac, si plures honorum Candidati, moribus & meritis insignes, occurrant, illi clavus aut clavus sunt consignande, qui alios virtutibus & prærogativis antecellit.

271 Dicit equidem Passerinus de Elect. cap. 30. num. 5. „ quærimus digniorem, ubi vix possumus reperire dignum: quàm pauci enim inter homines reperiuntur tales, qualem de-

272 In tali ergo casu faciendum est, quod monet, & mandat Concil. Trident. Sess. 24. de ref. cap. 1. hæc in verba differens: electores, alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare, nisi quos digniores & Ecclesie magis utiles ipsi judicaverint, præfici diligenter curaverint. Mandant hoc ipsum antiquiores Canones in cap. licet ergo 15. VIII. q. 1. ibi: qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligatur ad Sacerdotium. Item in cap. Metropolitanano 19. Dist. 63. ibi: ex Presbyteris ejusdem Ecclesie Diaconus optimus ordinetur. Mandant sacra pagine, dum Joannis 21. referunt, Petrum in Christi Vicarium electum fuisse, non tantum quia Christum quomodocunque, sed plus his, hoc est, ardentiori, quam omnes

273 Apostoli, amore dilexit. Et ratio manifesta est: tum quia iustitia legalis, non tantum in muneribus ecclesiasticis, sed etiam politicis exigit, ut eligentes bonum commune omni meliori, quò possunt, modò promoveant: tum quia iustitia distributiva præcipit, ut in officiorum publicorum distributione illi, qui potiora habent merita, cæteris anteferantur: tum quia ex iustitia commutativa per pactum tacitum eà conditione electoribus eligendi jus concessum fuisse videtur, ut illud in summum Ecclesie bonum usurpent: tum denique quia Ministros & Vicarios Christi decet, vel maxime Christo conformes & conformes esse, ut pote ad quos præprimis pertinet illud Mathei cap. 5. §. ult. estote perfecti, sicut Pater vester celestis est perfectus. Unde Trid. synodus tam loc. cit. quam in sess. 6. de ref. cap. 1. emphaticè proposuit: Ecclesiarum regimen esse onus, Angelicis numeris formidandum, adeò ut, si præri magnitudinem expendatur, nunquam satis tantum videri possit. Latè & pulchrè Gutierrez Quæst. Canonic. lib. 2. cap. 11. num. 1. & seqq. Hinc laudabilis ubique ferè locorum invaluit consuetudo, ut electores expressum deponant juramentum de eligendo digniore. Ex quo

274 Colligitur I. sententiam illorum, qui olim docuerunt, vel nullam, vel non gravem esse obligationem, eligendi digniorem (de quibus agit P. Cardenas Crisi Theol. dissert. 23. cap. 1. & 2.) nunquam ab intrinseco fuisse probabillem. Et, licet Concilium Tridentinum explicare voluerit, quòd per ly digniorem solam dignitatem eligendorum significaverit, sumptò comparativò pro positivo; vel locutione minus propria posuerit digniores, ut excludat indignos: at tamen hæc ipsa explicatio fuit erronea, & propterea ab Innocentio XI. Anno 1679. 2. Martii inter alias propositiones, tanquam scandalosa & in praxi perniciofa, proscripta. Videatur Cardenas loc. cit. & Clariss. P. Guetrather cap. 3. §. 4. à n. 3.

275 Colligitur II. quamvis in Concil. cit. Sess. 24. cap. 1. ab initio & in decursu solum mentio fiat de Electione Cardinalium & Episcoporum; illius tamen & Innocentii XI. Pontificis Sanctissimi decisionem ad Regularium aliorumque Prælatorum, animarum curam habentium, Electionem extendendam esse: partim P. SCHMIDER JURISPR. CAN. CIV. TOM. I.

quia in fine cit. cap. generaliter statuitur: nihil magis Ecclesie DEI esse necessarium, quam ut bonis maximè & idoneis pastoribus singulis Ecclesiis præficiatur: partim quia in sess. 6. cap. 1. decernitur indelictè: ad Ecclesiarum regimen maximè dignos esse assumendos: partim quia rationes, in num. 74. allatae, perinde in Episcoporum, quam aliorum Prælatorum Electione stringunt. Rota in rec. p. 1. dec. 65. n. 8. Barbosa de Offic. par. cap. 2. n. 100. Passerinus d. cap. 30. à n. 67. P. Guetrather d. §. 4. num. 10. His ita deductis,

276 Ambiges adhuc I. quisnam ergo censetur esse dignior? Resp. dignum cenferi, qui prærogativis, in §§. antecedentibus explanatis, splendet, vitis & impedimentis, ibidem enumeratis, caret, ac Ecclesie profuturus esse creditur: digniorem vero repertur, qui adstructas qualitates in gradu perfectiori possidet, & consideratis omnibus, Ecclesie magis profuturus esse, prudenter speratur. Gutierrez Quæst. Canon. cit. lib. 2. cap. 11. n. 63. & 64. Unde non sola scientia quantumcunque eminentis; non sola probitas, quantumvis excellentis, aliquem digniorem facit: sed major utilitas, quam aliquis, talentorum à DEO concessorum adminiculò, Ecclesie pariturus esse conjicitur, majorem dignitatem efficit. Passerinus loc. cit. n. 141. una cum integro carologo DD. secutus Ducem Angelicum D. Thomam 2. q. 67. art. 1. ad 3. & 2. q. 185. art. 3. & decisiones Rotæ Romanæ.

277 Ambiges II. quantò opus sit diligentia, ut 280 inquiratur dignior? Resp. morali, seu mediocri: nam talis diligentia non est ultra sed juxta vires infirmitatis humanæ: neque major ordinariè in aliis functionibus à Jure requiritur, ut constat ex cap. no. de Scrutin. in Ord. faciend. Passerinus d. l. n. 179. & seqq.

278 Ambiges III. utrùm liceat uti scientia Confessionis, ex qua aliquis eligendi, cæteròquin optimæ famæ & existimationis, indignitatem novit? Resp. contra Zosium hic n. 53. minime hoc licere. Ratio est: quia scientia Confessionis, quam accipit Confessarius, non ut homo, sed ut DEUS cap. si Sacerdos 2. de Offic. Ordinari. ad forum externum applicari nec valet, nec debet: cum alioquin & sigillum frangeretur, & Confessio penitentibus quam odiosissima redderetur. Passerinus de Elect. cap. 29. num. 18. & seqq. P. Guetrather d. cap. 3. §. 4. n. 21. & seqq.

279 Ambiges IV. utrùm scientia occultata, sed aliunde quam ex Confessionali accepta, uti quis in tantum debeat, ut teneatur eam aliis, ad impediendam Electionem, communicare?

280 Resp. non teneri, nisi Electio in Ecclesie perniciem esset redundatura. Ratio est: quia delictum occultum proximi non licet manifestum facere, nisi cedat in detrimentum Reipublicæ vel tertii; uti suo tempore videbitur.

281 Ambiges V. an liceat eligere minus dignum, quando per talem Electionem potest impediiri Electio indigni? Resp. cum P. Verani ad

ad b. r. §. 6. num. 10. & citatis *ibid.* affirmati-
 286 vè. Ratio est: tum quia dignior in simili
 hypothefi consideratur; ac si non effet, eò
 quòd major pars non velit ipsum, sed indigni-
 orum, eligere: tum quia in concursu duplicis
 mali, quorum utrumque vitari non potest,
 eligendum est minus: minus autem malum
 est, eligere minus dignum, quàm absolute in-
 dignum. Quæ prior ratio probat etiam,
 esse obligationem, eligendi dignum prædigi-
 niori, si Electio de indigno aliò mediò nequeat
 impediri.

287 Ambiges VI. an Electio digni in concursu
 dignioris saltem valeat? Resp. quòd sic. Ita
 Rota Rom. in *rec. d. p. 1. dec. 65. n. 8. dec. 149.*

SECTIO IV. De Forma Electionis.

SUMMARIA.

289. Traditur Electionis forma. 290. & seqq.
 Prærequiritur Ecclesie vacatura. 295. & seqq.
 Quando Prælatus ingreditur Religionem, ante
 professionem non potest eligi novus. 297. & seqq.
 Sunt etiam Electioni præmittenda exequia pro de-
 functo Prælato. 301. Explicatur cap. 36. h. t.
 302. & seqq. Intra trimestre faciendæ est Electio.
 308. & seqq. Ad die nota vacationis. 311.
 & seqq. Terminus de Jure determinatur à Capitu-
 lulo. 313. & seqq. Citandi sunt absentes, qui
 volunt, & commode possunt venire. 319. & seqq.
 Distantia non desumitur ex diversitate provin-
 ciæ. 322. & seqq. Absentibus intimatur dies
 Electionis. 325. & seqq. Unò, non citatò, potest
 ad illius instantiam Electio rescindi. 327. &
 seq. Si plura tertia pars, non-citata, abfue-
 rit, non valet Electio. 329. & seqq. Idem est,
 si duas partes fuerint presentes, sed, computatis ab-
 sentibus, non habeantur majora. 331. & seqq.
 Alioquin, si habeantur majora, valet. 334. &
 seqq. Quando absens non agit de contemptu, ne-
 quit Electio à Superiore rescindi. 339. & seqq.
 Capitulo incumbit probatio de vocatione abfen-
 tium. 342. & seqq. Declarantur multa, qua
 Electionis actus in die præstituta præmittuntur.
 357. Potest Electio fieri die feriata. 358. &
 seqq. Etiam de nocte. 363. & seqq. Tractatus
 prævius super eligenda persona non desideratur.
 370. & seqq. Electio per inspirationem vel est vera,
 vel præsumpta. 372. & seqq. Utriusque dif-
 ferentia. 374. & seqq. Unò ex Electoribus ab-
 sente, non censetur esse Electio per inspirationem.

§. I.

De Præliminaribus requisitis ad Electionem.

289 **F**orma Electionis Canonice consistit in
 modo & ritu eligendi. Ad hoc autem
 ut modus & ritus eligendi ad amissim obfer-
 vetur, quedam requiruntur velut prælimina-
 ria ante ipsum Electionis actum; quedam in
 actu. Ante Electionis actum requiruntur,
 quàmplurima; quæ ut ordine recensentur,

num. 1. & dec. 164. n. 3. Covarruv. in *reg. pec-
 catorum* §. 7. num. 4. Leuren. q. 474. D. Speng.
 cap. 1. n. 6. P. König ad h. t. n. 49. Desumitur
 responso ex *cap. cum nobilis* 19. h. t. ubi refertur
 Electio cujusdam Præbiteri, qui literaturæ non
 eminentis sed sufficientis tantum erat; neque
 tamen ex eo capite Electio irritatur. Cujus
 ratio est: quia aliàs nec electus Electioni de se
 factæ consentire posset, uti seipsum citra
 notam ambitionis digniorem æstimare non
 potest: nec ulla Electio ab impugnatione tuta
 foret, cum quotidiana sit materia dispu-
 tandi de minori vel majori dignitate elec-
 torum, uti notavit Rota *cit. decif.* 164.
 num. 4. & 5.

377. & seqq. Unò, si unus votum revocet. 379.
 & seqq. Aut electus eligendi forma contradicat.
 381. Explicatur forma scrutinii. 382. Om-
 nes debent esse presentes. 383. Tres scrutatores
 sunt assumendi. 384. Majoris partis consensu
 & testes assumuntur. 387. & seqq. Scrutatores
 de Collegio sint, oportet. 389. & seqq. Et spe-
 cialiter sive digni. 392. Scrutatores colligunt
 vota sigillatim. 393. & seqq. Secretè. 395.
 Et primitus à se ipsis. 397. & seqq. Nota debent
 esse certa & absoluta. 401. In scripturam redi-
 gi. 402. & seqq. Et publicari. 407. &
 seqq. Post publicationem sequitur collatio. 411.
 & seqq. Requiritur absoluta votorum majoritas.
 414. & seqq. Non valet accessus ad partem res-
 pectivè majorem vel minorem. 422. & seqq.
 Collatio Zeli ad Zelum, vel numeri ad numerum
 quandoque omittitur. 424. & seqq. Si habeantur
 absolutè majora, sit communis Electio. 427.
 Explicatur compromissum. 428. & seqq. Opus
 est singularum assensu. 430. & seqq. Possunt
 esse plures compromissarii, vel unus. 432. &
 seqq. Compromissarii sunt quasi procuratores Capituli.
 436. & seqq. Si eligant indignum, potest au eli-
 gendi non devolvitur ad Superiorem; si negligant
 eligere, devolvitur. 438. Requiritur consen-
 sus majoris partis compromissariorum. 439. &
 seqq. Tria Corollaria. 442. & seqq. Exhibetur
 paradigma prædictæ Electionis per scrutini-
 um.

De Præliminaribus requisitis ad Electionem.

cap. nullus 7. Dist. 79. & cap. bona memoria 36.
 292. h. t. Ratio est: quia in Concilio Latera-
 nensi promissiones & provisiones, de Ecclesiis
 non vacantibus factæ, tanquam obnoxie pe-
 riculo voti captandæ mortis, haud secus ac
 promissiones & conventiones de hereditate
 viventis, non solum prohibite sunt, uti forsitan
 aliquis ex *cap. nulla Ecclesiastica* 2. de *concessi.
 Præb.* exultimare posset; sed etiam irritatæ &
 cassatæ, per textum disertum in *cap. relatum*.

293. *3. eod. tit. & cap. detestanda* 2. *ibid. in 6.* No-
 lim itaque recipere sententiam Gonzalezii in
d. cap. bona n. 6. Barbosa in *collelian. ibid. n. 2.*
 Wagnerckii in *excepi ad idem cap. 7. in extre-
 mis agente not. 2.* docentium, talem Electionem
 esse validam ex ratione, quòd nullò textu in-
 validetur: quia oppositum immediatè de-
 monstratum est. Malim ad stipulari Passerino de
Elect. cap. 13. n. 9. Laymanno q. 30. Leurenio q.
 324. Schambogen ad h. t. n. 41. defendentibus,
 quæcumque deliberationem collegialem, de suc-
 cessore designandò, Prælaturæ necdum vacante,
 rohere destitui.

295. Utrum durante Novitatu ad Electionem
 procedi possit, quando Episcopus, permittente
 S. Pontifice, Monasterium ingreditur; vel
 Prælatus Regularis ad alium Ordinem stri-
 ctiorum transit? Quæsitum aliquando; sed
 296. ex dictis peractis resolutionis est. Quia
 enim tales Prælaturæ non vacant ante Pro-
 fessionem Religiosam per *cap. beneficium* 4. de
Regular. in 6. non obitate, quòd Prælati, Mo-
 nasterium ingredienti, ipsò factò Prælaturæ
 renuntiassè videntur; utpote cum omnis re-
 nuntiatio, intuitu securitatis Professionis facta,
 sit invalida ex dispositione Tridentin. Concil.
sess. 25. de Regular. cap. 16. prouissima sequela
 est, novam interea Electionem institui non
 posse. Clariff. D. P. Guerther *cap. 4. §. 1. n. 3. & seqq.*

297. Dixi II. exequias Prælati demortui præmittere
 oportet. Ita enim in *cit. cap. nullus 7. Dist. 79. &
 cap. bona 36. h. t.* decernitur, dum prohibetur,
 ne ante tertium à depositione diem habeatur
 novus Electionis tractatus: sine dubio pro-
 pterea, ut honor defuncti per nimis præcipi-
 298. tatam Electionem non lædatur. Receptif-
 sima tamen est sententia, Electionem, ante
 sepulturam Antecessoris institutam, validam;
 & si causa rationalis subit, v. g. metus in-
 trusionis à Laicis faciendæ, etiam licitam esse.
 Passerinus *d. l. n. 14.* Laymann. q. 31. Engel
h. t. n. 31. Tambur. *d. disp. 5. q. 7. n. 2.* Scham-
 bogen ad *cit. cit. n. 42.* Leurenio q. 327. n. 2.

299. Ratio est: quia statim à momento mortis in-
 cipit Ecclesia vacare, & jus eligendi ad Ca-
 300. pitulum pertinere *cap. Episcopo* 3. *VIII. q. 1.* Et
 licet in *cap. nullus 7. Dist. 79.* non minus Electio
 ante sepulturam, quàm Electio ante obitum
 prohiberi videantur; id tamen solummodò
 quoad honestatem, non etiam quoad neces-
 sitatem & valorem, accipiendum est: quan-
 doquidem alia ratio Electionis institutæ est
 ante, alia post obitum.

301. Neque putes, in *cap. bona 36. §. Electionem*

h. t. ex eo motivo evacuatum esse Electionem,
 quia, corpore prædecessoris Episcopi necdum
 traditò sepulture, inchoata erat. Siquidem
 duas ibidem causas allegat Pontifex: præpro-
 peram Electionem; & omiffam citationem
 unius, qui citari debuisset: prima tamen
 insufficientis fuisse, nisi & secunda accessisset,
 quæ se solà potest Electionem præcedentem
 irritare, ut postea dicemus.

Dico II. Intra terminum trium mensium
 à die notæ vacationis Electio instituenda; &
 interea certa Electioni dies est denominanda.

Dixi I. Intra terminum trium mensium
 303. Quamvis enim alia beneficia tempus 6. mensium,
 ad faciendam collationem, habeant præstitutum;
 circa beneficia tamen electiva, tam Cathedralia, quàm Regularia, tempus
 3. mensium idèd placuit, quia beneficia reli-
 qua, cum mortuò quoque beneficiatò non
 destituantur suo capite, videlicet Episcopò,
 tantum dispendium sustinere non debent,
 quantum beneficia electiva, quæ unà cum
 Prælato Pastorem & Caput suum amittere
 censentur. Textus in *cap. ne pro defectu* 4. *h. t.*
 & ibi per extensum Gonzalez *num. 10. & seqq.*
 P. Wiefner *hic n. 13. §. 1. & 123.* Quæ etiam
 304. probat, in illis Ecclesiis Collegiatis, quæ or-
 dinariam & generalem Jurisdictionem exer-
 cent, ex paritate rationis constitutionem *d.*
cap. ne pro defectu, ceu favorabilem ipsis Ec-
 clesiis, servandam esse. Consentit post Ab-
 batem in *d. cap. n. 5.* Clariff. P. Schmalzgrue-
 ber ad *h. t. n. 34.*

An autem hic terminus trimestralis prolon-
 305. gari, vel coarctari possit? Quæritur. Et qui-
 dem, absque Superioris Auctoritate, prolon-
 gari non posse, apertum est: quia, quàm
 primum elabatur, jus eligendi ad Superiorem
 devolvitur ex *num. 90.* At verò ab ipso
 306. Capitulo coarctari posse hunc terminum,
 dummodò absentibus non vergat in detri-
 mentum (quòd casu Electionem irritavit Rota
 in *rec. p. 19. 10. 1. dec. 388. num. 11. & 15.*) eò
 certius persuasum habeo, quòd magis in liber-
 tate eligentium est, vel statim à die sepulture,
 vel aliò tempore ante finem trimestris ad Elec-
 tionem decurrere. Rota *d. l. n. 4.* A Su-
 307. piori autem (nisi sit S. Pontifex) terminus
 abbreviari vel restringi nequit, ex quo nullus,
 nisi Supremus Princeps, privilegium, inferiori
 concessum, adimere, vel Jus Commune in-
 tervertere potest. P. Guerther *d. cap. 4. num. 17.*

Dixi II. à die nota vacationis. Præsupponitur, 308
 quàm vacatio Ecclesie Capitalibus inno-
 tuerit, non currit trimestre, Electioni præfixum
 per *cap. quia diversitatem* 5. de *concessi. Præb.*
in fin. ubi de tempore lex mensium, quoad be-
 neficia collativa sic disponitur; & *cap. cit. ne
 pro defectu*, ubi intra tres menses eligere ju-
 bentur electores, *justò impedimento cessante*.
 Quòd & priore textu moti DD. magnò numero
 309. tenent, neque tunc currere intervallum tri-
 mestrale, quando electores sunt impediti eli-
 gatione censuræ; modò negligentes se in
 310. Ss 2 peten-

petenda absolutione non exhibeat. Quamquam enim antecederet culpam contraxisset, atque impedimentum Electionis propria voluntate procurasse convincantur: nihilominus quia juxta *cit.* textus non currit tempus hic & nunc legitime impeditis, neque censuratis currit, utpote quibus, absolutionem suam impetrare conantibus, pro hic & nunc involuntarium est impedimentum censuræ. Panormit. in *d. cap. diversitatem* n. 3. Leuren. q. 319. Wiefner n. 126. & seq. Guetrather

310 *d. cap. 4. §. 1. n. 13.* Amplius, si Electio sit facta intra terminum, sed sine effectu, forte quia electus aut noluit consentire, aut (propter impedimentum antea latens, nunc verò cognitum) non potuit, novus terminus iteratæ Electioni haud alter conceditur, quam si à tempore irritæ Electionis primùm Ecclesia vacare cœpisset, ut habet clarissima constitutio Bonificii VIII. in *cap. si Electio* 26. h. t. in 6. eà in fine clausula subjunctâ: *admodum nil fraudulenter egerint in premissis.*

311 Dixi III. & interea certa dies Electioni futura denominanda est. Sed à quo? Ab ipso Capitulo, in cuius libero fatis arbitrio, quâcunque intra trimestre placuerit, die, negotium Electionis tractare arg. *cap. Episcopo* 3. & seq. VIII. q. 1. Confectuendo tamen in pluribus diœcesibus obtinuit, ut in Ecclesiis Regularium dies Electionis cum præfictu Ordinarii, quin & Principis terræ, si Monasteria eidem subiecta sint, determinetur. Magnif. P. König ad h. t. n. 53.

312 Dico III. Ante Electionem omnes absentes, qui debent, volunt, & possunt commode interesse, una cum insinuatione statutæ pro Electione diei, citari debent.

314 Dixi I. omnes absentes, qui debent; hoc est, jus suffragii de facto habent, aut saltem in quasi-possessione existunt, de quibus in *Sect. 2.*

315 Dixi II. & volunt. Qui enim comparere, & jus suffragii, quod habet, exercere detrectat, ille vocatus expectari non debet. arg. *cap. quod sunt* 28. §. si noster h. t. nisi ipse non usus juris tederet in Ecclesiæ vacantis dispendium: quia fortassis Electio indigni impediri, gravis dissensio componi, aut malum aliud averti potuisset. Ratio est: quia jus eligendi in favorem Ecclesiæ membris Ecclesiæ vacantis est concessum. Ergo si Ecclesiæ non multum referat, quod unus vel alter nolit eligere, poterit voto quis renuntiare: sin autem multum referat, nulla renuntiatio valebit. Panormitanus ad *cap. quia propter* 42. h. t. n. 4. Passerinus de *Elect.* cap. 11. n. 20.

317 Dixi III. & commode possunt. Quæ verba referri possunt vel ad citandos, vel ad citandos. Si referantur ad citandos, tunc habent hunc sensum, quod, si Electio accelerari debeat, neque absentes absque gravi Ecclesiæ incommodo expectari possint, quia aut metus schismatis, aut timor intrusionis laicalis subest, citatio non sit necessaria. Passerinus *d. cap. 11. n. 33.* Si referantur ad citandos, tunc idem significant, ac Capitulares absentes,

qui, spectatâ locorum distantia, considerata termini brevitate, ponderatâ negotiorum aut impedimentorum intercurrentium mole, nequeunt in die Electioni præfixo comparere, de necessitate vocandos non esse. Laymann q. 36. Uter verò sensus teneatur, legitimus est, & omnino conformis *cap. cit. quod sunt* 28. in §. si tamen sine periculo potuerint convocari; & in §. si noster h. t.

Neque hic discrimen est statuendum inter 319 absentes, sintne in eadem vel diversa provincia per textum in *cit. cap. quod sunt* 28. & *cap. cum inter* 18. h. t. qui sine discrimine loquuntur; & textum in *cap. bona* 36. in *pr. eod.* ubi Canonice Ecclesiæ Cremonensis, qui extra provinciam Cremonensem Rhegii morabatur, ad Electionem, Cremonæ instituentiam, vocatus fuisse, refertur. Et ratio est: quia 320 provincia aliqua tam ampla esse potest, ut absentes, licet intra provinciam degant, in termino expectari commode non possint: potest etiam provincia, in qua moratur absens, tam exiguo terrarum spatîo à loco provincie, in quo nova fit Electio, distare, ut absens comodissime venire possit. Ergo Judicis hoc arbitrio relinquendum, uti Rota indicavit in *rec. p. 19. to. 2. dec. 467. n. 10.* ac sine respectu ad provinciam absolutè tenendum est, absentes, qui, modò jam explicatò, commode vocari possunt, vocandos esse, ubicunque gentium existant: nisi de speciali consuetudine aliud diuturnis moribus observatum sit per *cap. in Genesi* 55. h. t. in *fin.* D. Spengler *cap. 7. n. 3. P. Wiefner n. 84.*

Quod autem in *cap. coram dilecto* 35. h. t. statutum inveniat, Electionem juxta majoris & sanioris partis beneplacitum esse dirigendam, *fratribus omnibus, qui fuerint in provincia, convocatis;* id assertam doctrinam neutiquam infringit: cum in specie facti *cit. cap.* tales potuerint esse locorum circumstantiæ, ut vel omnes absentes in eadem provincia pro tunc extiterint; vel illi, qui extra provinciam abierant, in termino reverti nequiverint. Wagner *in Excepsi* 5. *cap. coram.* Barb. *ibid.* n. 2.

Dixi IV. *nudè cum insinuatione statutæ pro* 322 Electione diei. Et hæc insinuatō apprimè est necessaria: quippe cum sine illa non possent Electores scire, an & quando ad locum Electionis accedere valeant, aut debeant. Panormitanus in *cap. cum inter* 18. h. t. *num. 10.* Passerinus *d. cap. 11. num. 55.* Leurenus q. 313. *num. 1.*

Unde duo inferre licet. 323 Primum est, quod, etsi quis nuntium accepit de obitu vel resignatione Prælati; imò ipsemet exequiis, vel resignationi præsens adfuerit; nihilo scilicet citandus sit: quia diem Electionis adhuc ignorat. Alterum est, 324 quod, si & vacaturam Ecclesiæ, & simul assignationem diei tulerit absens, citari non debeat ex regula: quod semel certior factus ulteriori certioratione non indigeat. *cap. enim* qui 31. *de R. F.* in 6. Panormitanus *d. num. 10.* Passerinus *d. n. 56. & 57.* Leurenus *d. q. n. 2. 3. & 4.* dissentiente D. Schambogen hic n. 48.

Dixi

325 Dixi V. citari debent; puta per nuntium aut literas. Gonzalez in *cap. cum inter* 18. h. t. n. 10. Quæ citatio, si omnia sit, ac unus tantum absentium non vocatus, potest ille de contemptu agere, ac totam Ecclesiam irritare, esto, si præses fuisse, sua contradictione non potuisset Electionem, per aliorum majora vota jam perfectam, impugnare: cum plus in talibus (verba sunt Innocentii III. in *cap. bona memoria* 36. h. t.) consueverit contemptus unius obesse, quam multorum contraditio in presenti.

326 Noluerunt enim SS. Canones, æquitatis & justitiæ tenacissimi, ut jus, quod ad Electionem habet absens, sine causa adimatur; sed magis totam Electionem absentis impugnationi relinquere, quam jus suum eidem auferre voluerunt. P. Franciscus Antonius Phoebus *Institut. Juris Can. lib. 1. tit. 4. n. 6.*

327 Quaritur autem I. an talis Electio, absentibus non citatis, valeat?

Resp. I. si ex Capitalibus plusquam tertia pars absit, eaque citata non sit, Electionem, à præsentibus celebratam, nullius esse momenti. Panormitanus in *cap. quia propter* 42. n. 12. Leurenus q. 314. Schambogen 328 h. t. n. 46. Wiefner n. 86.

Ratio est: quia in actibus Univerſitatis, qualis est Electio, nequeunt validè procedere præſentes, si plusquam tertia pars absit. *l. nulli* 3. *l. planè* 4. *ff. quod cuiusque Univerſi. nom.* Unde si 30. sint electores, atque ex his 19. præſentes, 11. absentes, & non vocati. Electio à 19. unanimi quoque; calculo celebrata, viribus est vacua.

329 Resp. II. si ex Capitalibus duæ tertiæ celebrent Electionem, non tamen secundum majora respectu totius Capituli, computatis absentium personis, Electionem similiter irritam esse. Auctores citati.

Ratio est: quia ad Electionem Canonicam requiruntur vota absolutè majora, hoc est, respectu totius Capituli, & omnium actuale votum habentium. Atque totum Capitulum non consistit duntaxat in personis præſentibus, sed etiam in personis absentibus, votum activum habentibus. Ergo nisi majora adsint vota, comparatis potest personis absentium, Electio non potest esse Canonica.

Hinc quando ex Canonicis 30. reliquis 6. non citatis, ad Electionem 24. concurrunt, & ex his 13. Sempronio sua vota consecrant, necdum est perfecta Electio: quia, computatis personis absentium, 16. vota requiruntur, ut fiant majora respectu totius Capituli.

332 Resp. III. si, computatis absentium personis, nihilominus potior votorum numerus in electum ceciderit, Electionem esse validam, donec ab absentibus non-vocatis impugnetur. Rota in *rec. p. 19. to. 2. dec. 467. n. 22. & seqq.* Laymann. q. 37. Fagnan. in *cap. quia propter* n. 38. Passerinus *d. cap. 11. num. 118.* Pirhing h. t. n. 138. P. Engel *ibid.* n. 11. cum

333 Authoribus, jam ante allegatis. Textus opportunus in *cap. quod sunt* 28. in *pr. h. t.* ubi dicitur: *insinuatam esse Electionem, nisi (absentes non vocati) postea propter bonum pacis*

convenerint consentire. Atque Electio infirmata, non est invalida; neque consensio subsequens potest revalidare, quod antecederet: non valet. Ergo &c. Et ratio ulterior est: quia, quod duæ tertiæ præſentes unanimi vel absolutè majoris partis consensu statuunt, perinde habetur, ac si universonum Capitulum fecisset. *l. quod major* 19. *ff. ad Municip.*

Quaritur II. an, si absens non-vocatus; 334 agere de contemptu intermitat, possit Superior ex officio Electionem rescindere; vel alius rescissionem petere?

Resp. ad utrumque quæſitum cum Panormitano in *cap. quod sunt* 28. n. 10. Honorio ab Axel. ad h. t. *sub. n. 4.* D. Spengler *d. cap. 7. n. 14. & 15.* Wiefner n. 92. negativè. Rota *cit. l. n. 38.* Ratio est: quia nec Judex ex officio solet actum validum rescindere, nisi ad instantiam partis, cuius interest, petere rescissionem. *arg. l. dies* 4. §. 8. *ff. de Damn. infest.* nec alius pro alio potest agere, si mandatum expressum vel tacitum non habeat; quale hic dicitur, ubi supponimus, absentem non-vocatum juri suo renuntiâsse.

Dices: jus agendi de contemptu saltem ad successorem erit transmissibile: & idè si 336 Canonicus v. g. Ecclesiæ Cathedralis non-vocatus ad Electionem, antequam egerit de contemptu, moriatur, jus agendi transferret in successorem in Canonicatu.

Resp. ex hac instantia probari, jus agendi 337 Canonicò competens, eò mortuò in Capitulo, quemadmodum alia ipsius jura, transferri Capitulo verò, quod Canonicum vocare neglexit, nequit hoc jus usurpare: quia proprium factum, non sine abusu, impugnetur. Aliud esset, si Prælatum aliquis ratione Prælatuæ jus haberet suffragii in aliena 338 Ecclesia: tunc enim, esto ad Electionem illius Ecclesiæ non citaretur, atque ante impugnationem moreretur, jus suum in Prælatum successorem transferret: quia Prælatorum jura Prælatuæ coherent, ac in quolibet successorem devolvuntur. Panormitanus *d. n. 10.* D. Spengler *d. n. 14.*

Quaritur III. cuiusnam incumbat in dubio 339 probatio: an Capitulo, quod vocaverit; an abſenti, quod non fuerit vocatus?

Resp. Capitulo probationem incumbere Ratio est: quia pro abſente stat duplex favor. Primus est, quod in negativa planè illimitata & abstracta se fundit, scilicet se non esse vocatum: talis autem negativa, cum tanquam non-ens nullas habeat qualitates, ordinariè probari non potest per textum bonum in *cap. bona memoria* 23. §. *Contra Legatib. t.* & alium in *l. actor. 23. Cod. de Probat.* Alter est, quod abſentis negationi Capitulo reponat factum 340 contrarium, nempe vocationem ad Electionem: factum autem allegans id probare cogitur. *l. in bello* 12. *ff. de Captiv. & postlimin. cap. licet Romanus* 1. *de Constitut. in 6.* Panormitanus in *cit. cap. bona* n. 13. P. Wiefner *hic num. 94.* Poterit autem vocationem probare Capitulo, vel Præſidis, vocationem decernentis; 341

Ss 3

vel

vel nuntii, eam exequentis, juramentū arg. cap. cum parati 19. §. si nuntius de Appellat. l. quare 58. §. ult. ff. de Adil. Ed. l. magis puto 5. §. 13. ff. de Reb. cor. qui sub tutela &c. P. West. n. 95. quia videlicet testi, de officio suo deponenti, credendum est.

342 Dico IV. Quando dies, Electioni præfixa, advenit, tunc Electores presentes, convocati in unum, invocata prius Spiritus S. gratiā, ad locum Electionis se conferunt. ac secundum unam ex formis præscriptis eligere incipiunt.

343 Dixi I. quando dies Electioni præfixa advenit. Nam opus non est, ut Capitulum expectet aliquem diem, ac quæ communi consensu Electioni præfixa est. Quin neque illud est necesse, ut expectet tempus pomeridianum: quia communiter tempore matutino Electiones celebrari consueverunt. Passerinus d. cap. 11. n. 88. Guetrather d. §. 1. n. 25.

344 Dixi II. Electores presentes. Nullus ergo ex absentibus, legitime citatis, expectandum est, sed soli presentes, sive unam sive duas tertias constituent, sive etiam unica sit persona, opus Electionis aggradiuntur. Rota in rec. p. 19. 10. 2. dec. 439. n. 5. Et, si ex presentibus aliqui sint infirmi, qui procuratorem constituere aut non voluerunt, aut non potuerunt, praxis habet, ut scrutatores illos accedant, nullōque actu intermixto, ad locum Electionis redeant. P. König h. t. n. 66.

345 Dixi III. convocati in unum; intellige vel per campanam, vel aliud signum, prout moris est per cap. in causis 30. §. Capitulum verò h. t. Etenim Electio, cum toti Capitulo quæ tali competat, nequit à Capitularibus separatim, sed collegialiter convocatis & congregatis peragi. Textus in cap. cum terra 14. ibi: Electores in unum locum conveniant h. t.

347 Dixi IV. invocata prius Spiritus sancti gratiā. Textus in d. cap. cum terra & cap. cum inter 18. h. t. cap. cum Ecclesia 3. de Causis possess. & propriet. Solet autem de consuetudine cantari Solennis Missa de Spiritu sancto, sub qua singuli electores sacram Synaxin de manu Officiarii olim acceperunt: licet hodie, ut testatur Clariss. P. Guetrather d. §. 1. n. 32. si Sacerdotes sint, ipsimet sacrum votivum de Spiritu sancto alicubi dicere consueverint. Hæc tamen solennitas, ut sancta & salubris, non est substantialis. Tambur. cit. disp. 5. q. 6. n. 34.

348 Dixi V. ad locum Electionis se conferunt. Locus ille est ipsa Ecclesia iuxta cap. quod fecit 28. in pr. h. t. non quidem stricte accepta, quatenus includit solam navim & chorum, ut in cap. cum nobis 19. d. 1. sed latius considerata, in quantum locum quemlibet honestum, intra Ecclesiam vel Monasterii ambitum situm, comprehendit, si que & sacristiam, refectorium, aut capitulum arg. cap. cum inter 21. & cap. in causis 30. h. t. Passerinus cap. 12. n. 2. Leuren. 349 qual. 320. n. 2. Ex causa autem rationabili in quolibet loco licite & valide potest Electio tractari per cit. cap. quod fecit 28. in pr. Sinè causa non quidem licite, sed valide fit extra Ec-

clesiam. Barbosa l. E. v. lib. 1. cap. 9. num. 176. Passerinus d. cap. n. 12. Leurenus q. 321. n. 1. tum quia nullibi pro forma Electionis circumstantia loci statuta reperitur: tum quia Electio non est actus jurisdictionis contentiosæ, certo tribunali alligatus; sed actus jurisdictionis voluntariæ, seu verius, actus officii & muneris Capitularis, quoad substantiam à sola Capitularium, legitime convenientium, voluntate pendens. Quæ rationes etiam evincunt, Electionem extra Ecclesiam ne quidem cum Laymann in cap. cum inter h. t. n. 1. P. Pirhing eod. tit. num. 242. P. Westner n. 116. irritandam esse; veluti mecum teneverunt Passerinus d. cap. 12. num. 12. Leurenus q. 321. n. 2. exceptionem facientes, si locus planè inhonestus, vel Electio profus inconveniens esset, uti v. g. est domus Principis Sæcularis per cap. quæ fronte 25. de Appellat. Nonnulli cum Archidiacono controversiam movent: an valeat Electio in loco interdicto? Ac, quod non valeat, textum in cap. ubi periculum 3. §. porro h. t. in 6. allegant. Sed non bene. Nam textus ille loquitur de Electione Romani Pontificis; neque eandem irritam esse in loco interdicto, sufficiente explicat. Aliunde autem pernotum est, in loco interdicto sola officia Divina, administrationem Sacramentorum, & sepulturam esse prohibitam, non actus alios, officii, jurisdictionis, aut conventionis. Abbas in cap. ad hoc 1. de postul. Pralat. num. 33. Barbosa cit. l. n. 177. Gonzalez in not. ad cit. cap. h. t. n. 4. Passerinus n. 16.

Alii apud Passerinum d. l. n. 19. asserunt, Electionem in loco occulto, cameris aut conclavibus secretis celebratam, subsistentià privatam esse: forte propter textum in cap. quia propter 42. h. t. §. finali, qui sic habet: Electiones quoque clandestinas reprobamus. Sed sine fundamento. Nam Electio in loco abscondito, à Capitulo collegialiter in unum congregato facta, non est dicenda clandestina; sed que vel insituitur per occultam, non totius Capituli, sed aliquorum duntaxat separatim conventicula arg. cap. si quis Papa 2. Dist. 79. vel publicata non est arg. ejusdem cap. quia propter cit. §. fin. Gonzalez ibid. n. 13. Unde locus occultus non tantum non vitiat Electionem, sed & mirifice perficit: quia quod secretior est locus, eò & securior, & liberior, & servando secreto est aptior. Passerinus d. num. 19. Leurenus q. 323. n. 2. Westner num. 120.

Dixi VI. ac secundum unam ex formis præscriptis eligere incipiunt. Præmittunt tamen reproductionem proclamatis aut repetitum citationem; ac, si quidam ex vocatis non comparuerint, accusant ipsorum contumaciam per Syndicum vel alium; unā quoque per aliquem ex Capitulo vel ipsum Electionis Præsidem contra inhabiles & eligere impeditos protestantur, ad mentem cap. Cumana 50. h. t. quæ & absolutio à censuris ad cautelam cum reincidencia imperitur, si quis potestate absol-

abfolvendi præditus adit. P. König num. 57. P. Guetrather num. 37.

357 Disquirendum restat I. An Electio die feriatò celebrari possit? Et breviter Resp. quòd ita. Ratio est: quia die feriatò prohibiti sunt tantummodò actus profani, judiciales & jurisdictionales cap. omnes 1. cap. conquestus ult. de Feriis. Atqui Electio neque est actus profanus, neque jurisdictionalis. neque judicialis; & si judicialis esset, nihilominus tanquam actus religiosus & pius censetur esse licitus arg. d. cap. ult. Ergo &c. Passerinus cap. 13. n. 45.

358 Disquirendum restat II. an Electio de nocte possit fieri, eò videlicet tempore, quò sine candela videri non potest? Et in hac disquisitione primò conveniunt omnes ferè: id concessum esse ex causa rationabili. Passerinus d. cap. 13. num. 49. Rodriquez Qualif. Regular. tom. 2. q. 5. art. 15. Leuren. qualif. 333. num. 1. Secundò conveniunt plerique (exceptò P. Pirhing ad h. tit. num. 253.) idem esse permissum, quando Electio, de die inchoata, propter electorum discordantium vota usque in noctem est continuata: non obstante cap. in causis 30. h. t. in §. Capitulum verò, cum tota illa die ipsorum presentiam expectasset, subsequenti die &c. cum hæc verba tantum narrative non dispositivè posita, quid factum sit, referant; non, quid fieri debeat, præcipiant. Tertio communior etiam sententia convenit, Electionem, de nocte simpliciter ac sine rationabili causa inchoatam, saltem invalidandam esse, tam ob cap. consultius 24. de Off. deleg. ubi iudicium Ecclesiasticum in tenebris exerceri prohibetur; quam ob cap. quia propter h. tit. §. fin. ubi Electiones clandestine reprobantur. Laymann in cit. cap. in causis num. 6. P. Pirhing est. loc. Westner num. 27. Sed

361 Resp. Electionem nec invalidam, nec invalidandam esse. Ita Passerinus d. cap. 13. n. 50. & seq. Ratio est: quia gratis, ac sine textu & ratione tempus diurnum pro valore Electionis exigitur. Enimverò textus in cap. consultius loquitur in terminis de actibus judicialibus, qui, quòd oculatim requirant iudicem, etiam solis lumen requirere videntur. Textus verò in cap. quia propter nomine clandestinæ Electionis intelligit privata & separata aliquorum tantum electorum conventicula ex num. 354. qualia inepè dicuntur conventus publicitotius Capituli. Ratio autem declarat, tempore nocturno formam Electionis quàm exactissimè servari posse, dum ad candelæ vel lucernæ lumen notari in charta vel ele-

ctores seu eorum vota; atque insuper omnes scrutatores & electores à se invicem conspici valent: sicut & alia non levis momenti negotia de nocte salubriter expediti, præsertim in aulis Principum, docet hodierna praxis.

Disquirendum restat III. an Electionem prævis tractatus consultius præcedere debeat? Ubi non est in dubium trahendum, quin ante Electionem communi consilio tractari debeat: quam formam in Electione assumere placeat? quinam in scrutatores vel testes assumendi sint? Tales siquidem tractatus necessariò præmitti debent, ad hoc, ut præfata & alia dubia tollantur. Et de his extat textus in cap. in causis 30. h. t. Verum in tractatus de persona eligenda, de unius vel alterius meritis & prærogativis discutendis, sit præmittendus Electio? Dubium reddunt Glossain cit. cap. cum in veteri in verb. tractatus, & alii, quos citat Barbosa f. E. v. l. 1. cap. 19. num. 183. & Passerinus cap. 5. num. 64. concludentes, similem tractatum esse de substantia Electionis per cap. cum inter 21. d. cap. cum in veteri 5. 2. cap. in genesi 15. h. t. Quibus tamen fortiter & merito id opponit Passerinus d. l. n. 68. Westner num. 144. Guetrather d. §. 1. num. 30. & seq. I. quia recitati textus necessitatem adhibendi tractatus prævis nullatenus adstruunt. Nam cap. cum inter non de præambulā quādam deliberatione, sed de ipso tractatu & actu Electionis loquitur. Similiter cap. cum in veteri loquitur de ipsa Electione, quæ, quia secundum mandatum Pontificis non erat celebrata cum consilio Abbatum S. Benigni & Morismundi, nec non alicujus Religiosi ex Ordine Prædicatorum, justè potuit à S. Pontifice irritari. Præterea etiam cap. in genesi de iplo negotio Electionis loquitur, in quo omnia erant collatio numeri ad numerum, meriti ad meritum, zeli ad zelum &c.

II. quia ejusmodi consultationes præcedentes non raro plurimum inconvenientiarum sunt prodromi, licium scilicet, discordiarum, denigrationum, ambitionis, simoniæ, &c. III. quia Electiones tum alio, tum præcipue Regularium, nequeunt esse & manere secretæ; juxta præscriptum Concilii Tridentini, si, quæ vota in scrutinio danda sunt secretò, ante scrutinium in prævia deliberatione manifestentur. Unde & ego cum posterioribus Authoribus hujusmodi consultationes tanquam minus quieti publicæ consultas, nequaquam consulendas esse opinor.

§. II.

De Modo Eligendi per Inspirationem.

360 Preliminaria Electionis puncta discussa sunt. Ipse Electionis actus triplicem modum & ritum habet. Primus est per Inspirationem; quæ duplex, vera & præsumpta. Vera dicitur, quando persona, in pastorem assumenda, Divinò iudiciò, & prodigiosò quòdam

indiciò demonstratur; veluti primis Ecclesiæ sæculis sæpius accidisse, testes sunt D. Nicolaus, D. Ambrosius, & alii, de quibus Historici. Rota Rom. in rec. p. 4. tom. 2. dec. 312. n. 16. & num. 20. ubi notatur, peccata nostra oblatre, quò minus hæc eligendi forma prædicetur.

- 471 *Presumpta* nominatur, quando Electores, capitulariter congregati, vel simul omnes, vel uno aliquo dominante, ceteri pariformiter, unanimi consensu & voto in unam personam conveniunt, ita ut inspectata hæc animorum & votorum concordia non nisi ex Divini Spiritus instinctu & inspiratione promanasse, prudenti ratione præsumatur *arg. cap. schisma 34. XXIV. q. 1. Textus & Panormit. in cap. quia propter 42. h. s. nifi. num. 1. & seqq. Rota d. l. n. 17.*
- 372 Utraque inspiratio numeratur inter modos eligendi: hæc tamen servatâ differentiâ, quod Electio, per veram inspirationem celebrata, humanâ confirmatione haud egeat: quia ea, quæ Divinâ ordinatione sunt comprobata, humanæ discussioni non subjacent per *cap. duaz. XIX. q. 2. Cum ediametrò Electio, per quasi-inspirationem seu præsumptam facta, ab examine Superioris immunis non sit, utpote in qua perfacile fraudes latere, vel simonia potest irrepere. Fagnanus in cit. cap. 29. Wiestner ad h. l. n. 164.*
- 374 Hæbitabis I. an censetur esse electio per inspirationem, quando unus ex electoribus erat absens, & non citatus?
Resp. negativè. *Rota d. l. n. 17. Passerinus cap. 23. n. 2. Leurenus q. 408. & non pauci,*
- 375 ab his relati. Ratio est: quia Electio per inspirationem desiderat unanimia singulorum Electorum vota *d. cap. 42. §. nisi ibi: nisi forte communitè esse: ab omnibus quasi per inspirationem sine visio celebrata.* Atqui Capitularis, legitimè abens, est ex censu electorum; nec tamen in electum votum suum direxit. Ergo &c.
- 376 Et quamquam aliàs Electioni, per majora suffragia absoluta, possit non citatus accedere, eamque habere ratam; in hac tamen hypothesi vel idèd nequit id agere: quia præsumptio est, eam ratihabitionem

non tam ex impulsu Divino, quam exemplò aut inspiratione coelectorum proficisci.

Hæbitabis II. præsumaturne esse Electio per inspirationem, quando unus ex electoribus ab initio communi aliorum voto subscripsit; postea facti penitens, re adhuc integrâ, votum revocat?
Resp. itidem negativè. *Passerinus d. cap. n. 3. Leuren. q. 409. Ratio est: quia votum, legitimè revocatum, perinde consideratur, ac si datum non fuisset. Sed supposito, quòdis, qui votum revocat, nunquam alteri, communiter electo, dedisset votum, Electio non diceretur esse celebrata per inspirationem. Ergo &c.*

Hæbitabis III. an, si Electio fiat publicè, totumque Capitulum derepente in unum ex Capitularibus præsentibus consentiat, isque contradicatur, Electio per inspirationem nominanda sit?
Resp. distinctè. Vel ille Capitularis positivè repugnat huic determinatæ formæ per inspirationem, volens magis affirmare formam aliam; vel potius repugnat eidem formæ, quatenus ad sui Electionem comparatæ? Primò casu non erit Electio per inspirationem: quia, ut in *num. 374. ex §. nisi cap. 42. h. s. animadverti, inspiratio omnium consensu perficienda est. Alterò casu erit Electio per inspirationem, si post aliquam contradictionem ad meliora persuasus electus consentiat: quia necesse non est, aliquem in sui electionem positivè & primò momentò consentire, ad hoc, ut Electio dicatur esse unanimis: cæterogeni vix una Electio, præsertim secreta, talis appellari possit: cum plerumque electus aut eligendus, saltem ex humilitate apparente, alium nominare soleat. Sic *cit. Passerinus num. 5. cum Leurenus quest. 410. quoad rem sentire videtur.**

§. III.

De Modo eligendi per Scrutinium.

- 381 Secundus & usitatissimus eligendi modus est scrutinium, cujus requilita uno quasi halitu refert sæpe *d. cap. 42. in pr. h. l. statuens, ut presentibus omnibus, qui debent, & volunt, & possunt, commode interesse: assumantur tres de Collegio, fide digni, qui secretè & sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in scriptis redacta mox publicent in communi: ut is, collatione habitâ, eligatur, in quem omnes, vel major & sanior pars Capituli consentit.* Hæc sunt verba *cit. cap. de verbo ad verbum, pro penitenti scrutinii noticia, exponenda.*
- 382 Dicitur itaque I. *in presentibus omnibus &c.* Has voces jam in 1. §. n. 3. 13. proluxè declaravimus.
- 383 Dixi II. *assumantur tres.* Intellige scrutatores. Et hic numerus ternarius, spectatò Jure, est de forma scrutini, ita ut sine periculo nullitatis nec augeri, nec minui possit: cum verba *d. cap. sint dispositiva, ac novæ Electionis formæ introductiva, ut tenuit Rota d. p. 4.*

com. 2. dec. 312. n. 27. & plur. seqq. Tamburini disp. 5. quest. 6. num. 7. Wagnereck in Exeg. d. cap. Fagnanus ibid. n. 43. & seq. Wiestner eod. tit. num. 167. Passerinus cap. 16. num. 18. P. Guetrather cap. 4. §. 2. n. 4. contra Glosiam & paucos alios.

Sed à quo & quomodò scrutatores assumendi sint? Postulas. Resp. à Capitulo, ut innuunt citata verba: *presentibus omnibus assumantur &c.* per consensum majoris partis, simpliciter ac citra formam, hic præscriptam, ne detur processus in infinitum. *Pirhing h. tit. num. 162. Leuren. q. 337. n. 1. & 2. Guetrather d. §. n. 3.*

Utrum etiam Præses Electioni deputari debeat? Rursus interrogas. Resp. sic quidem servari de consuetudine, ut eò magis ordo servetur, confusio evitetur, ac libitus obstructur janua; id tamen de Jure nullibi statutum inveniri. *Fagnanus d. l. num. 72. Wiestner num. 169.*

Ultra-

- 386 Uterius: an procurator Capituli, Notarius, ac testes Electionis actui præsentès esse, conveniat? Rogas.
Resp. & hoc valde convenienter observari posse, prout observatur; nullâ tamen necessitate id expolci. *Innocent. in cit. cap. quia propter num. 1. Panormitan. num. 14.*
- 387 Dixi III. de Collegio. Adeoque, consideratâ Juris dispositione, sicut numerus scrutatorum, sic assumptio de Collegio est de forma, per deductionem Rotaalem, rationem, & Authores in *num. 383.* Licet hodiernâ consuetudine, de qua pro partibus Germaniæ testatur P. Engel *hic num. 34. extranei munus scrutatorum obeant, Præside quoque, si quis addit, idem officium peragente.*
- 389 Dixi IV. *fide digni.* Ex quo gemina notum est, quòd scrutatores iisdem planè dotibus & qualitatibus pollere debeant, quibus electores: nequeunt liquidem dici de Collegio electorum assumpti esse, si illorum qualitatibus vacui, jus eligendi actu non habeant. *Passerinus d. cap. 16. n. 31. Leuren. q. 340. n. 1.* Alterum est, quòd singulariter in scrutatoriis requiritur integra fides & existimatio, eò quòd ipsorum conscientia summa rei committitur.
- 390 Putant equidem *cit. Passerinus num. 34. Leuren. ead. q. n. 2. Pirhing num. 164.* hanc posteriore conditionem ad justitiam Electionis duntaxat, non verò ad substantiam efflagitari; ad eoque Electionem esse validam, esto scrutatores infamâ facti laboraverint. Horum sententiam, tanquam benigniorem in praxi libenter admitto, cum maximè, ubi non omnes, sed unus è scrutatoribus notatus est: at, si omnes infamâ facti forent, de rigore Juris aliud sentirem: quia eadem ratione, quâ numerus ternarius, simul etiam integritas fidei in scrutatoribus desideratur.
- 392 Dixi V. *qui secretè & sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant.* In quibus verbis tum officium & munus scrutatorum, tum vera & genuina ratio scrutini continetur. Ad hoc ergo, ut scrutatores functioni suæ faciunt satis, & scrutinio suus consistat valor, debent primò omnes Capitulares, unum post alterum vocare (nisi secundum ordinem, aliàs inter se servari consuetum, ut rò accedant) atque ab eo suum votum sigillatim & separatim exquirere. Adeoque non omnes electores simul, nec turmatim, nec bini aut terni, sed seorsim ac solitariè votum suum explicent, opus est.
- 393 Secundo debent ita secretè singulorum vota colligere, ut præter scrutatores & ipsum votantem (ut ita dicam) nullus ex reliquis coelectoribus scire possit, cui coelectoris sui votum cesserit.
- 394 Quem in finem expediet, aut scrutatores esse in alio loco quàm electores, si locus Electionis tam angustus sit, ut vota clari nequeant; aut saltem, si locus amplior sit, Capitulares in angulo quodam remotiore consistere, ne unus alterius suffragium percipiat: itaque sic praticari in nonnullis

Ecclesiis nostræ Germaniæ, ex Zerola in *praxi Episcop. p. 1. §. Electio* notat Clariss. P. Wiestner *num. 171.* Alter si vota colligatur, aut quadam ex illis cum elegantium nominibus manifestentur, accedente saltem Capituli culpa, non tenet Electio. *Rota in rec. p. 4. tom. 3. decif. 574. num. 54. & seqq. Pignatelli. tom. 10. consil. 77. à num. 11.*

Tertio, si scrutatores sint de Collegio, cum primis duo ipsorum à tertio votum sollicitare debent; & tum primùm à reliquis Electoribus idem exigere, ne, si ultimi sua suffragia nuncupent, pro suo quasi lubitu Electionem ordinare, majorem numerum conficere, ac vel huic, vel alteri parti, pro periorum acceptione, accedere valeant. *Laymann in cap. quia propter num. 6. Wiestner n. 170. Schambogen n. 56.*

Ipsa porrò Electorum vota pura, absoluta, & certa sint, oportet: nam vota conditionata, qualia sunt: *Eligo Cajum, si parentes ipsius fuerint mortui &c.* vota alternativa: *v. g. eligo Titium vel Sempronium &c.* vota incerta, puta: *eligo, quem Sempronius elegerit &c.* ita sunt nulla & irrita, ut ne quidem data fuisset, ex censura Juris, credantur *cap. in Electionibus 2. h. l. in 6. Unde si totum Capitulum conflexit ex 24. Canonis; ac 6. illorum vota dederint incerta, vel conditionata; reliqui 18. verò certa & absoluta; priores sex planè non computantur in numero electorum: sique ille, in quem ex 18. decem consenserunt, pro legitime electo habetur *d. cap. in Electionibus. Passerinus cap. 18. num. 24. Pirhing. n. 171.* Quod tamen; cum Barboza in *Collectan. ad cit. cap. num. 10. & DD. ibidem notantur, non ad omnem planè conditionem extendere, sed cum Glosia ibidem, Viviano, Laymann, & P. Wiestner num. 172. ad solam conditionem de futuro contingenti, aut de præterito vel presenti, incertitudinem hic & nunc importante, limitare volo: nam conditio de præterito, quæ inest actui ab ipso Jure, qualis est, *eligo Titium, si Ecclesia vacet, si in astate legitima sit constitutus, si impedimento careat &c.* non reddit Electionem conditionatam: hoc enim votum cujuslibet habet in se imbitum, quòd valere non possit, ubi vel Ecclesia non vacans, vel electus habilis non est. Similiter conditio de futuro necessariò, *v. g. eligo Titium, si cras Sol orientur:* quia purum & certum relinquat actum, non vitiat Electionem, ut cum eodem P. Wiestner & citatis antea Authoribus tenet Passerinus *num. 22. Leuren. q. 318. num. 2.***

Dixi VI. *& in scriptis redacta.* Atque hoc etiam ad officium scrutatorum & formam scrutini pertinet, ut vel ipsimet, vel ipsorum iussu alius; sive Notarius sit, sive testis, vota scripturæ consignent. *Rota in rec. d. p. 4. tom. 3. dec. 574. n. 43. & seq. Fagnanus n. 14. Wagnereck in Exeg. d. verb.*

Dixi VII. *max publicent in communi.* Hæc publicatio diversimodè solet à DD. explicari. Nam *Leuren. q. 168. n. 3. & Wiestner n. 175.* volunt, publicationem ita fieri, ut nomen electi

403 electi pateat. Layman. verò q. 74. Tamburg. d. diff. 5. q. 6. num. 15. Wagnereck ad cit. p. König. h. t. num. 70. contendunt, non personam electam, sed numerum duntaxat. votorum manifestari: dicendò v. g. vota, quæ à Capitularibus exquisita sunt, uniuersim sunt 20.

404 *quæ* 30. &c. Ego in Ecclesia Metropolitana Salisburgensium vota hõc modò publicari conspexi: postquam omnes schedulæ (sic enim consignantur hie vota) in calicem sunt impressæ, commiscetur, effunduntur in mensam, & numerantur. Tum reponuntur in calicem, una post alteram extrahitur, aperitur, ac nomen personæ ibidè scriptæ annotatur. Quò factò, revocantur DD. Capitulares, ipsisque volentibus publicantur personæ, quot electæ sunt, & quot habuerint vota. Hancque publicationem textui in cap. quia propter maximè conformem, imò necessariam arbitror, dum cã omisã, Electio pro nulla declaratur in Rota

405 Rom. d. p. 4. tom. 3. dec. 574. n. 43. Hujus publicationis ratio est: quia postmodum certius institui potest collatio numeri ad numerum, quando presentibus omnibus numerum electorum & votorum manifestatur. Effectus autem est, quòd electores nequeant amplius variare, seu vocem suam revocare cap. publicatò 58. h. t. quemadmodum ante publicationem liberam mutandi & revocandi facultatem habebant. Abbas in cit. cap. n. 1. 4. 5. 7.

407 Dixi VIII. is collatione habita eligatur, in quem omnes vel major & sanior pars Capituli consentit. Est autem collatio triplex: numeri ad numerum; zeli ad zelum; meriti ad meritum cap. in Genesi 55. h. t. Collatio numeri ad numerum est computatio votorum inter se, cum in scopum tendens, ut appareat, in quem major numerus inclinaverit. Collatio zeli ad zelum est examen de personis eligentium, cum indagatone, quòd probitate, prudentiã, intentione, ad eligendum permoti sint. Collatio meriti ad meritum est reflexa consideratio personæ electæ, ponderandò illius merita, virtutes & doctes, ac conferendò cum meritis, virtutibus, & doctibus alterius collecti.

410 Hæc collatio Salisburgi post votorum publicationem, fit ab unoquoque ex Illustrissimis & Reverendissimis DD. Capitularibus secretò, ut luculenter pateat, num aliquis ex passivè Electis majora & saniora vota nactus fuerit.

411 Quæres autem I. quot vota requirantur in collatione numeri ad numerum, ut censeatur esse major pars?

Resp. requiri vota absolutè majora, nec sufficere majora respectivè: hoc est, majorem numerum votorum computari juxta majorem numerum Capitularium, presentium, volentium, & actuale jus eligendi habentium; non numeratis absentibus, nolentibus, aut impotentibus. Rota in recent. p. 19. tom. 1. dec. 169. num. 1. & seqq. & tom. 2. 412 dec. 467. num. 20. In exemplo sunt 24 Capitulares, atque ex his 13, eligunt Sempronium; Sempronius censetur esse per majora electus: quia 13, faciunt majorem partem

tem Capituli. Econtrã fit ex 24. Capitularibus 10, eligant Titium, 9, Sempronium, 5, Mævium; nullus habet absolutè majora vota: quia 10, non sunt major pars Capituli respectu totius Capituli, sed tantum respectu minoris partis. Textus in cap. Ecclesia 48. & ibi Vivianus; & in cap. in Genesi 55. h. t. Carthianus de Luca de Canon. disc. 28. n. 8. Krimer h. t. num. 1923.

Quòd si supponamus ex 13. Capitularibus sex esse absentes, vel quòd vocari non debuissent, vel quòd vocati comparere noluerint, aut jam presentibus rursus discesserint, Capitulum in 18. personis consistere, ac, qui decem habet vota, per majora electus fuisse censetur. Rota cit. p. tom. 1. dec. 169. n. 2.

Quæres II. an liceat accedere minori parti ad majorem, ac per accessum vota majora efficere. E. g. an in recentio casu, quò 10. eligunt Titium, 9, Sempronium, 5, Mævium, possint illi 5. vel illi 9, accedere reliquis 10. atque, per additionem suorum votorum, numerum decenalem augere?

Resp. negativè. Passerin. de Elect. cap. 40. num. 38. Clariss. D. Joann. Philippus Braun h. t. concl. 3. pag. 57. P. Reiffenstuel n. 302. P. Verani num. 56.

Ratio est I. quia in cap. auditis 29. h. t. perspicuè declaratur Pontifex, quòd si numerus votorum in se Canonicus non sit, nequeat talis fieri per vota subsequèntia. Et licet Adversarii hunc textum interpretentur de illo casu, quòd major pars accessit minori, non, quòd minor majori: atamen non satisficiunt. Enimverò S. Pontifex fundat suam decisionem in eo, quòd Electio sit nulla, quando non adfuit vota majora; Electio autem nulla non possit per subsequèntem consensum convalescere. Ergo, quia hæc ipsa ratio procedit in casu, quòd minor numerus accedit majori respectivè: procedit eadem dispositio. Ratio est II. quia supponimus, scrutinium eòdè modò, quò à num. 402. exposuimus, jam esse publicatum. Sed, publicatò scrutiniò, non amplius licet variare cap. publicatò 58. h. t. Ergo nec accedere majori parti. Ratio est III. quia vota secretè & sigillatim in ipso scrutiniò exprimenda sunt. At, si minor pars accederet majori, non secretè, sed publicè; non sigillatim, sed turmatim; non in ipso scrutiniò, sed post scrutinium exprimeret sua vota. Ergo &c. Atque hanc sententiam in praxi sequendam esse, monet Magnif. P. König num. 70. presertim fit Electio à S. Pontifice confirmanda sit: eum consistet, à Romana Curia Electiones per accessum sæpe non admitti.

Contrarium, quòd Electio per accessum valeat, defendunt P. Engel h. t. n. 40. Fagnanus in cap. publicatò n. 37. Laymann quest. 77. Pirhing num. 176. Guetrather num. 13. iisque suffragari videntur cap. licet 6. h. t. & cap. indemnitate 43. §. Janè h. t. in 6. Sed hæc cap. ad casus particulares, de quibus emanarunt, coarctanda sunt; scilicet ad Electionem S. Pontificis, in qua accessus ad majorem partem

tem idèd permittitur: quia requiruntur duæ tertie, quæ difficultius habentur, accessu non concessò; nec non ad Electionem Abbatissæ, in qua accessus ad majorem partem certo cum respectu & effectu fuit indultus.

422 Quæres III. utrum collatio zeli ad zelum, meriti ad meritum, semper & pro semper possit? Resp. casus aliquos exceptos esse. Primus est, quando duæ tertie seu partes de Capitulo in voto concordant cap. si quando 9. h. t. in 6. Rota in rec. p. 4. to. 3. dec. 574. n. 50. Secundus est in Electione Summi Pontificis d. cap. licet 6. X. h. t. Tertius est in Electione Abbatissarum cap. indemnitate 43. in f. h. t.

423 in 6. Quartus est in plerisque aliis Electionibus, potiore numerum suffragiorum habentibus: tunc enim pars potior in numero presumitur esse sanior in consilio arg. cap. prudentiam 21. de Off. deleg. & cap. cum in cunctis 1. de his, quasi a majori & donec contrarium probetur. Rota in rec. p. 16. dec. 400. n. 1. Panormitanus in cap. Ecclesia 57. n. 4. Wiestner n. 177. Krimer h. t. n. 1950.

424 Factã jam collatione, si Electio non fuerit,

celebrata in concordia, sed vota sic dispersa reperiantur, ut nullus à majori Capitularium parte majora sit affectus vota, rejicitur Electio, & vel ad novum scrutinium, vel ad compromissum transitur.

Si verò unus non tantum majoribus calculis, sed etiam majoribus meritis ornatus adfuerit, tum Electionis decretum expeditur, & electus ab uno nomine totius Capituli hæc vel simili formulã promulgatur: Ego N. nomine meò & aliorum eligentium, mihi que consentientium, invocata Spiritus sancti gratia, in Episcopatum vel Abbatem hujus Ecclesie N. eligo, & electionem pronuntio, & coram vobis publicò, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, Amen. Laymann in cap. quia propter num. 9. & de Elect. quest. 72. König n. 72. Spengler n. 32. Wiestner n. 178. Docet quoque diversorum locorum consuetudabilis, quòd Electio, ita publicata Capitulo, inter intervallo per unum de Capitulo vel extraneum populo denuntiari soleat, (suae tamen sic & probante Abbate in cit. cap. quia propter n. 16. Soleat etiam electus in Ecclesiam deduci, & hymnus Ambrosianus decantari.

§. IV.

De Modo eligendi per Compromissum.

427 Tertius eligendi modus est Compromissum, quòd toto Capitulo aliquibus viris idoneis potestas committitur, qui vice omnium Ecclesie vicinaria provideant. Textus in cap. quia propter 9. vel saltem.

428 Dixi I. à toto Capitulo. Ut insinuarem, Compromissum uniformi singulorum Capitularium consensu assumi debere. veluti constans & communis sententia cum Panormitano in d. cap. & §. n. 2. Zoëli num. 74. Laymannò q. 83. Passerinò cap. 22. n. 19. P. Engel hic num. 41. Laurentiò q. 396. ex d. cap. in §. vice omnium; & cap. in causis 9. à singulis de Capitulo 429 deducit. Cujus ratio est: partim quia, jus suum nemini invito esse auferendum l. invictum 1. l. in vendendo 13. Cod. de Contrah. emp. partim quia, ubi de jure singulorum agitur, uti hic, singulorum consensu accedere debet arg. cap. quòd omnia 29. & cap. in re comunis 56. de R. f. in 6.

430 Dixi II. aliquibus viris idoneis. Quà notã ostenditur, compromissarios debere esse Clericos; & præter titulum membri Capitularis (qui non exprimitur per cap. causam 8. h. t.) omnibus electorum qualitatibus condecoratos arg. cap. sacrosancta 51. h. t. ne, quod unã 431 viã negatum est, aliã concedatur. Neque refert, in quo numero, singulari vel plurali; pari aut impari, compromissarii constituantur. Quantumvis enim in dicto cap. quia propter plurali locutione Pontifex utatur; atamen, quòd solum enuntiativa, non dispositiva sit, aliis in locis, in quibus de uno compromissario fit sermo, declaratur, in specie d. cap. causam 8. h. t. cap. si compromissarius 37. h. t. in 6.

432 Dixi III. potestas committitur. Quod fieri dupliciter potest, absolutè & limitatè. Absolutè, ut, quemcumque voluerint compromissarii,

farii, eligant. Limitatè, ut aliquem ex Capitularibus compromittentibus, vel eum, quem major Capituli pars nominaverit, eligant; eui posterior modus non tam compromissum quam scrutiniò naturam referat.

Illud controverti possit: valeatne compromissum hõc modò, ut electus censetur, quem major pars Capituli respectu minoris partis designaverit? Ex ea dubitandi ratione, quòd magis valere debeat, quam compromissum illimitatum & absolutum. Sed nodus iste cum negotiatione jam solutus est in cap. si cui 2. h. t. in 6. Ratio est: quia tale compromissum imitatur scrutinium cap. cum dilectus 32. h. t. in quo majoritas votorum non respectu minoris partis, sed totius Capituli computatur ex n. 411. Barbosa in Collectan. ad d. cap. n. 1. P. Engel hic num. 41. P. Wiestner n. 202. Fagnanus in cap. licet 6. n. 45. P. Krimer h. t. n. 1951.

Dixi IV. vice omnium. Ex quo apparet, compromissum habere non modicam affinitatem cum mandato; ut, sicut mandatum re integrã potest revocari §. reitè quoque 9. Inst. Mand. & cap. quicumque. 1. de sentent. excommunic. in 6. ita & compromissum revocatione finitur cap. in causis 30. §. quia verò h. t. Laymann q. 90. Neque singuli de Capitulo consentire debent, cum singulorum non amplius interlit; sed majoris partis consensus satis est. D. Braun. dist. conclus. 3. p. 56.

Dixi V. Ecclesia vicinaria provideant. Tenentur autem intra trimestrale tempus eligere; & si absque legitimo impedimento non elegerint, potestas eligendi ad Superiorem devolvitur cap. si compromissarius in pr. 37. h. t. in 6. Aliter atque si indignum compromissarii